

Dissertatio inauguralis medica de phthysi ... / praeside ... Georgio Friderico Sigwart ... pro gradu doctoris medicinae d. [blank] Dec. 1765. Publice defendet auctor Io. Iacobus Oehlmecker.

Contributors

Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.
Oehlmecker, Johann Jakob.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Litteris Sigmundianis, [1765]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n7uczqjx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

4

DE

P H T H I S I,

Q V A M

DEO CLEMENTER IUVANTE

CONSENSV AMPLISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE

P R A E S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO atque EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

GEORGIO FRIDERICO
SIGWART,

PHILOS. ET MED. DOCTORE

MEDIC. CHIRVRG. ET ANAT. P. P. O. MED. AVL. WÜRTEMBERG.
FACVLT. MED. SENIORE.

PRO GRADV DOCTORIS MEDICINAE

D. Dec. 1765.

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

IO. IACOBVS OEHLMECKER, Stuttg.

PHILOS. DOCTOR, LEGIONIS PRIMARIAE SER. D. D. WÜRTEMB.
CHIRVRGVS.

TVBINGAE, LITTERIS SIGMVNDIANIS.

4

P. H. T. H. 1. 3. 1.

GEORGIO TRUCCO

STEWART

THE GREAT BRITISH

TO THE HONORABLE



§. I.

Difficile, quid? quod ferme impossibile videtur, Thema pro dissertatione inaugurali eligere, quod non antea tractatum, quod non sæpius propositum fuerit. Sed, cum usus pustulet, ut quilibet Studiorum suorum cursum legitime absolaturus & hoc modo suos commonstratum eat profectus, etiam meum jam est, ut materiam quandam exponendam mihi sumam. Diu multumque deliberans, tandem de Phthisi tractare mecum constitui. Variæ id suadebant rationes, quas hic fusius exponere ad præsens institutum nil attinet.

§. II.

Noli itaque, benevole Lector! a me hic expectare plane nova in medium proferenda. Noli vero etiam existimare me cramben centies coctam tibi appositurum. Constitui de morbo hoc quædam proponere, quæ alibi non eodem modo, saltem & ab aliis aliter proposita sunt. Ordinem naturalem sequar, operam daturus, ut varias auctorum species absque necessitate sæpius accumulatas ad pauciores redigam, & ad eum, quem habeo, finem dirigam, neque tamen idcirco meram compilationem & repetitionem rerum dudum dictarum protrudam.

§. III.

Phthisis vel phthoë vi etymologiæ significat corruptionem qualemcumque. Medici sumunt hos terminos modo latius, mo-



do strictius; Intelligunt modo totius corporis corruptionem, modo corruptionem pulmonum aliusve visceris. Nos strictiorem notionem adoptamus ex Galeno, a) dicente: *ην ιδίως ονομαζουσιν οι ελληνες και μαλιστα αυτων οι Αθηναιοι, φθισιν, ταυτην νυν ο Ιπποκρατης ωνομασεν φθισιν, επι πνευμονος ελκυσεσιν ανιατοις, γιγνομενης απαντος τε σωματος ισχυνοτητος μετα πυρετου νεπτου.* Phthisis itaque nobis hic est contabescencia totius corporis ex labe pulmonum oriunda. Alii in hac definitione febris hecticae mentionem faciunt b) c); sed hectica, ut alias vage dicitur, ita plerumque Symptoma tantum phthiseos designat.

a) in Defin. p. 317.

b) EBERHARD. in consp. Pathol.

c) de SAUVAGES in Nosologia Methodica tom. III. p. 11. class. X. p. 267. *Phthisis est emaciatio corporis cum amphimerina lenta, tussi, &c.*

§. IV.

Plurimæ species Phthiseos ab AUCTORIBUS allegantur. Celeberr. de SAUVAGES loco cit. p. 269 — 281. post divisionem in phthisin primariam & secundariam addit: *Phthisin siccam, humidam, scrophulosam, scorbuticam, asthmaticam, hæmoptoicam, calculosam, syphiliticam, a metastasi puris, chloroticam, a peripneumonia, rheumatico - arthriticam, exanthematicam, icteritiam, hypochondriacam, chylosam.* Existimamus autem, non modo omnes supra allegatas, sed & omnes adhuc possibiles Phthisium species ad tres reduci posse, nempe A) ad eam, quæ ex ulcere pulmonum, B) ex eorum obstructione, C) ex præternaturali dilatatione eorum organorum, quæ in statu naturali mucum secernunt, quando per has vias simul utiles nutritioni destinati humores exeunt, & corpus sic exhauritur a).

a) illustr. v. SWIETEN commentar. in Aphor. Boerhaav. tom. IV. ad § 1205. p. 57. & l. c. tom. II. ad §. 793. p. 638.

§. V.

Modum, quo illa vitia pulmonum corporis contabescenciam efficiunt, ita concipio. Corporibus Phthisicorum nutritio deest. Summa in illis observatur macies,

Compressæ nares, nasi primoris acumen

tenuè,

tenue, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis a).

Phthysicum consummatum si aspicias, umbram videre putes

καὶ γὰρ ἐστὶ σαρκαὶς τε καὶ οὐρα ἰσὺς ἐχέουσιν. b)

Quodsi phthysicum cibus succo nutritio maxime scatentibus matres, tamen non nutrietur.

Ossa tegit macies, nec juvat ora cibus c).

Nutritio itaque a vitio isto qualicunque impeditur. Pulmones enim præcipue, (licet alia viscera pariter haud parum huc conferant,) sunt illud organon, quod Chylum in massam sanguinis receptum ita præparat, ut nutriendo corpori aptus evadat, unde BOERHAAVE d) ait: *actio pulmonis videtur chylo inducere formam, nutriendo corpori aptam.* Chylificatio itaque Phthysico ab initio mali saltem integra esse potest, nutritione vel nulla vel exigua adhuc vigente. Sanguificatione enim impedita, impeditur nutritio, quod disertis verbis BOERHAAVE habet dicens: e) *ab actione pulmonum transmissoria cruoris laesa oritur impedimentum αἱματοπομπούς & nutritionis, unde Cachexia, Atrophia, Phthisis &c.* Nam ut Aristoteles f) ait. *το αἷμα ἢ ἐκ τῆς τροφῆς καὶ ἢ αὐτῆς ἐστὶ πασι* (g). Destructo vero vel impedito organo, qua causa efficiente, tollitur vel impeditur ejus effectus, sic & corruptis quovis modo pulmonibus impeditur sanguificatio, quoniam, ut supradictum, illi ipsi præcipuum sunt organon sanguificationis g). Alia quoque ex ratione ulcus pulmonum alimentum sanguini detrahit, consumitur enim ab ulcere ipsa pars gelatinosa nutriens. Hinc Cel. D. PRINGLE: h) *Wir können dabero schliessen, dass das serum in allen Geschwüren beständig heraus foggere; dass es aber von der Wärme des Theiles, und der natürlichen Flüchtigkeit der thierischen Säfte alles geschwind ausdünste, diesen Bodensatz ausgenommen, welcher in dem Geschwüre in Gestalt eines pus, oder einer digerirten Materie zurucke bleibt, und zur Cur so nothwendig erfordert wird. Dieses ist die Ursach, warum alle grosse Geschwüre so ausnehmend schwächen, weil das Blut um diese Substanz zu verschaffen, einen so grossen Abgang leidet.* — In Phthysicis hæc ita evenire, & ratio & halitus Phthysicorum plerumque sub-fœtidus suadent.



Accedit, quod pus resorptum talem inferat Dyscrasiam, quæ lympham ineptam reddit ad nutritionem, acribus quippe & putridis intime tinctam particulis i).

a) LUGRET L. VI.

b) HOMER Odyss.

c) OVID. trist.

d) INSTIT. Med. §. 200. nro. 6.

e) l. c. §. 820.

f) oper. omn. tom. II. edit. Peris. p. 174. περί πνεύματος καὶ α.

g) Ill. ab HALLER. prim. lin. Physiolog. §. 302.

h) Versuche und Beobachtungen über septische und antiseptische Substanzen p. 430.

i) EL. CAMMERER dissert. III. de vitiis humanæ machinæ p. 23.

§. VI.

Dispicimus primo de Phthisi ex ulcere prognata. Vlcus pulmonum (§. IV. A) est solutio continui humore sanioso (non pure) b) scatens. Celeberrimus PLATNERUS dicit a): *ulcus est solutio continui, ex qua humor corruptus exit*: Quæ verorem nondum plane exhaurire videntur HEISTERUS, c) differentiam inter ulcus & vulnus ponit, in causis externis, vel internis, quasi vero vulnus a causa interna oriri nequeat, & a sola causa externa oriatur. Vlcus supponit solutionem continui, adeoque hæc natura & tempore prior est, & prius considerari debet. Disquiram jam, quibus modis solutio continui in pulmonibus evenire possit, ut genesis ulceris ex illa deducere possim. Duplex maxime modus talis pulmonum læsionis occurrit, ruptio & arrosio, (ρήξις & διαβρωσις) utriusque, si notabiliora vasa læsa sint, comes est αιμοπτυσις, sin minora tantum vasa, vel talia, quæ humores in bronchiorum ramificationes effundere nequeant, læsa sint, orietur vulnusculum sine αιμοπτυσει.

a) Instit. Chir. Rat. §. 336. & 892.

b) CELSUS lib. V. de Medicina cap. XXVI. pus exit ex ulcere, jam ad Sanitatem spectante —

c) Instit. Chir. P. I. l. V. cap. I. §. 1.

§. VII.

Ruptio vasculi cujusdam pluriumve contingit vel a causis violentis, quæ sunt nimius thoracis motus, compressio, percussio,

cuffio, vulnera, in pulmones penetrantia, nec non *phlegma* a topho soluto & ejecto. Vel accidit ruptio a causis internis, ubi vis aliqua vasa ita distendit, ut tandem, si ad summum pervenerit extensio, rumpantur. Vis hæc distendens est liquidum contentum, vel massa, vel mole, vel utroque præternaturam auctum. Massa augetur ab omni eo, quod plerhoram producit, a victu lauto, otio &c. accidit quoque, ut sanguis tantum in pulmonibus accumuletur, quod efficiunt omnia ea, quæ affluxum humorum ad pulmones augent, vel sanguini jam præsentī moram justo longiorem inducunt, quo pertinent transpirationis suppressio, nifus inormis in tollendo onere, omnis coactus corporis situs, nimia thoracis distensio & compressio, clamores & animi affectus, qui præter spasmodicas constrictiones & inde oriundas huc illuc tendentes congestiones summum sæpe produciunt orgasmum; Sic legimus de ANTIGONO, quod in prælio vociferationibus pulmonem diruperit; & de SULLA, quod animi concitatione nimia, atque immoderato vocis impetu convulso pectore spiritum cruore ac minis mistum evomuerit *a*). Orgasmi causas prolixius recensere | supervacaneum esset. Causæ plures conjunctæ eo facilius, eo certius ruptionem efficient. Magis adhuc nocet orgasmus, quem subitanea quies excipit, cum cor eodem adhuc tenore pulsare, & fluida circumagere pergit, hæc vero in externis artubus & tota peripheria majorem inveniunt resistantiam, adeoque illa præternaturaliter extensa & rarefacta in pulmones calidiores & laxiores intruduntur & impelluntur. Vasorum firmitas resistit liquidis impulsis, adeoque quo minus vasorum robur est, eo majus rupturæ periculum. Sed & quo impetus moti per vasa sanguinis major, eo major vis infertur vasis *b*). Quamdiu vasa adhuc tam firma sunt, ut sanguini appellenti resistere possint, tamdiu nulla fit ruptio. Adesse igitur debet aliqua prædispositio, conditio sine qua non, & sic devolvimur ad causas prædisponentes, quas vocitant.

a) Illustr. v. SWIET. l. c. tom. IV. p. 22.

b) v. SWIETEN. l. c. p. 9.

§. VIII.

Quicquid pulmones debilitat, id omne facit ad tollendum æquilibrium inter vim vasorum resistentium & fluidorum appulsum. Sublato vero illo data quavis occasionali causa accidit ruptio. §. VII. Adeoque quodvis pulmones debilitans, est causa *πρὸς* sic dicta prædisponens. Debilitant autem pulmones pleræque, quin omnes causæ occasionales §. VII. si sæpius occurrant. Sic, si affluxus humorum ad pulmones præternaturaliter augetur, vel circuli impedimentum in pulmonibus oritur, fibræ & vasa distenduntur, adeoque structura eorum fit laxior, minus compacta, minus firma, debilior. Addendæ sunt causis §. VII. memoratis, morbi prægressi, inflammationes, defluxiones catarrhales &c. nec non eæ causæ, quæ impediendo liberam in aliis partibus circulationem eo ipso efficiunt, ut humores versus pulmones regurgitent, quæ sunt spasmi varii *a)*, excretionum suppressiones, præcipue sanguinearum, ut hæmorrhoidum, narium hæmorrhagiæ, VSis consuetæ; *b)* Referendus porro huc est sanguis spissus, lentus, qui obstruendo & distendendo vasa pulmonis huic morbo ansam dat: Contrahitur talis dyscrasia à victu tenaci, duro, præsertim sub otiosa vita, utpote quæ sola hujus cacochymix fons & origo esse potest.

*Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ilt capiant vitium, nō moveantur aquæ.*

a) EBERH. *Patbol Spec.* p. 525.

b) BOERH. *Aphor.* §. 1198.

c) BOERH. *Instit. Med.* §. 619 *seqq.*

§. IX.

Dantur quoque aliæ hujus morbi causæ prædisponentes à sic dictis sex rebus non naturalibus non dependentes. Quæ sunt
1) Aetas, HIPPOCRATES enim eos, qui intra annos 18 — 35. versantur, huic morbo præsertim, obnoxios esse tradit; τοῖσι *δε νεανίσκοις αἱματος πτυσις, φθίσις*, — *a)* BOERHAVE, & Magnus ejus Commentator rationem hujus phænomeni reddituri

ri b) ille proportionem massæ sanguinis auctam accusat, hic autem omnia ad causas occasionales hac ætate frequentiores reducit. Vulgatissima experientia constat, eam in organisino corporis humani legem obtinere, ut in ætate teneriori caput, deinde pectus, in adultiori & provectiori autem reliqua ad perfectionem ducantur, adeoque pro diversa ætate varii ex diversis congestionibus nascantur morbi. Conf. Exc. D. D. OETINGER Dissert. Inaug. de Achorum Insitione §. 23. seqq. Apprime hoc convenit cum observationibus HIPPOCRATIS, quæ in Aphorismorum L. III. prostant. 2) Dispositio hæreditaria. Mirum exemplum tristic hujus juris hæreditarii refert Ill. V. SWIETEN c). Causæ positæ quidem sunt in dispositione solidorum & fluidorum, sed præcisæ determinatio nos adhuc latet. 3) Teneritudo vasorum, thorax planus & angustus, scapulæ depressæ, cet. d). 4) Plethora, ubi in vasis major justo sanguinis copia vehitur, unde major istis inferitur vis, unde faciliior eorum debilitatio, faciliior ruptura.

a) Aphor. L. III. §. 29.

b) ll. cc. §. 1198.

c) l. c. ad §. 1207.

d) B OERH. Aph. §. 1198.

§. X.

Cum omnes hæmoptyses causæ possint phthysicos causæ evadere, brevibus videndum erit, quomodo hæmoptysis, ruptio vasculorum in pulmonibus, quatenus a causis memoratis pendent, præcaveri queat. Præservatio a morbo quocunque consistit in sublacione causæ proximæ, sublata nempe causâ, tollitur effectus. Causa proxima oritur sub causis prædisponentibus & occasionalibus, *qua conjunctis*: Sublata itaque causa una vel altera, vel utraque, morbus præcavetur. Causæ prædisponentes *πρὶν* vasculi pulmonum §. IX. allegatæ removeri nequeunt, sed tamen efficacia earum impense infringi potest, maxime per frequentiores V. Snes, pro individui ratione singulis tribus, quatuor, sexve mensibus instituendas, nec non per omnia derivantia, quæ humores a pulmonibus revellunt; laxationes, pediluvia &c. Inter causas prædisponentes §. VIII. recensitas numeravimus crebriorem recursum causarum occasionalium, §. VII. nominatarum; modo itaque illæ, vel saltem frequentia illarum

abfint, hæ causæ prædisponentes aberunt, adeoque accurate san-
ctæque diætæ ratio habenda est.

§. XI.

Causarum occasionalium §. VII. excitatarum quædam adeo
vehementes sunt, ut etiam sano in homine sæpius ruptionem va-
sculorum pulmonalium, largamque αιμορρυσιν subito excitent;
quo pertinent lapsus ab alto, graviores pectoris dorfive percus-
siones, sive illæ immediate, sive mediate thoracem afficiant.
Talis est percussio dorsi, i. e. thoracis posterioris a machæris
gravibus, ponderosis (*das Fuchteln*). Hinc etiam Serenissimus
Dominus noster Dux pro ea, qua fulget, spiritus sublimitate
æque ac erga subditos amore atque clementia sapientissimo consi-
lio id poenæ genus saltem in legione primaria abrogari, atque in ali-
ud ratiussque mutari iussit. Ceterum reliquæ causæ occasionales,
v. g. clamores, animi affectus, orgasmi variæ causæ a prædispo-
sitis ad hæmoptysin solícite quoque hic proscribendæ sunt.
Præterea ubique fere conducit methodus præservatoria. §. X.
dicta a).

a) Conf. Ill. v. SW IETEN l. c. ad §. 1207. p. 80. sqq.

§. XII.

Alter læsionis pulmonum modus est διαβρωσις §. VI. Arro-
dentium actio in eo absolvi videtur, quod spicula sua salina-
quibus scatent, partibus solidis infigant, poros intrent, disa-
tent, dilacerent, & sic solutionem continui producant. a) Quo-
tiescunque igitur corpora acria, rodentia in pulmones deferun-
tur, læsio horum, *ceteris paribus* continget. Deducuntur illa in-
pulmones vel a causis externis, vel ab internis. Externæ causæ
sunt omnes acres vapores, mediante aëre per asperam arteriam
in bronchia, eorumque distributiones & ramificationes delati.
Quodsi igitur vel acrimonia eminens adsit, vel minus quidem
acria, sed sæpius in pulmones perveniant, vel per longum tem-
pus ibi detineantur, oritur arrosio a causa externa. Exempli
loco allegabo fumos minerales, acidos vitriolicæ seu sulphuræ
indolis, arsenicales &c. qui inspirati pulmonibus insident, di-
ctasque creant molestias. Huc refert JUNGKEN b) fenum Ta-
baci copiosius haustum in dispositis. Nec caret ratione vel re-
stimu-

stimonio assertum. Iste enim fumus, particulis calidis, foetidis, empyreumaticis, & terreo - alcalinis acrioribus, sub combustionem demum genitis scatet, adeoque, cum aëre in pulmones haustus, eosdem exsuccos, flaccos debilesque reddit, & successive pulmonum exulcerationem aut aliam periculosam labem inducit. c) Accidit quoque, ut solidiora corpora peregrina per asperam arteriam in pulmones deferantur, eosque lædant, quos autem casus rariores omittimus. Frequentius vero accidit, ut varius pulvis subtilior inspiretur, qui, quo acrior, vel quo major ejus copia, vel quo siccioribus pulmonibus illatus, minus majusve damnum parit. Damnat imprimis CARTHEUSER. l. c. §. VI. abusum pulveris Nicotianæ, & locum BERNHARDI RAMAZZINI excitat, idem asserentis, quod scilicet illi pulvisculi volantes acriores teneram pulmonum texturam pungant & exsiccent &c.

a) Cfr. CARTHEUS. in *Fund. Mater. Med.* Tom. I. Sect. VII. C. 2. p. 385.

b) *Prax. Med.* p. 846.

c) l. c. S. XI. c. III. §. V.

§. XIII.

Internæ διαβρωσεως causæ variæ sunt. In eo conveniunt, quod semper adlit humor corruptus, qui salibus extricatis scattens vim rodentis exferat. Diversæ vero naturæ est ratione originis, partium constituentium, mixtionis. Humores hi rodentes vel jam antea corrupti sunt, & communi circulationis lege ad pulmones feruntur, vel demum in pulmonibus corruptionem nanciscuntur. Ad priorem speciem referimus phthises, quas Cel. de SAUVAGES §. IV. vocat scorbuticam, syphiliticam, eam, quæ a metastasi puris, exanthematicam, verbo, eas, quæ cacochymiam vel universalem, qualis in scorbuto, lue venerea &c. vel particularem supponunt. Huc refero omnes metastases materiæ antea corruptarum.

§. XIV.

Posterior casus, ubi humores in pulmonibus demum corruptionem subierunt, duplex iterum esse potest: Accidit nempe corruptio vel extra vasa sanguifera, vel intra eadem. Quod si extra vasa sanguifera contingit, tum est vel in bronchiis eorum-

que ultimis distributionibus, vel in tela cellulosa, quæ eandem
cingit & separat. In hac tela arrosionem multo frequentius con-
tingere, quam in bronchiis, asserit Ill. V. SWIETEN *a)* ita pro-
nuncians: *Si jam contigerit, sanguinem effundi in cellulosa hanc
membranam, cruor extravasatus, mora corruptus, & acrior reddi-
tus, suppurationem & ulcus pulmonale producere poterit.* Sanguis
enim extravasatus, qui in vasis aëreis pulmonum hæret, tussi
educi poterit facile, ille vero, qui in membrana cellulosa hujus
visceris colligitur, per hanc viam exire nequit, nisi erosio jam
tracheis vicinis exitum invenerit. Omnes humores corporis
humani extravasati sibi relictæ in loco calido corruptionem pu-
tredinosam subeunt. *b)* Sub hoc actu putredinis evolvuntur &
extricantur sales alcalini, quos antea deprehendere non potui-
mus, licet materialiter eos adfuisse oporteat. Sales hi vim ro-
dentem in partibus tam teneris perpetuo motis facile exferunt.
Casus hic obvenit *c)* in catarrhis acris diuturnioribus, ubi ab
initio materies blanda esse potest, sed si expectoratio non suc-
cedat, vel aliis ex causis humores jam secreti & depositi moram
justo longiorem contrahant, eadem materies antea innocua fit
acris, rodens. Hujus possibilitatem & existentiam jam AETIVS
perspexit, *c)* dum exulcerationem pulmonum, quæ à catarrho
acriori oriatur, φθῶν vocavit. Idem testatur BENEDICTVS, *d)*
dicens: *Pituita è vasculis secreta, immoratione in parte facta, non
solum partis, in qua hospitatur, tenorem & compagem dissolvit, sed
putredinem exinde acquirendo, erosionis redditur accommodatum iustru-
mentum.* *β)* Ex hæmoptysi prægressa de phthisi semper metuen-
dum est, siue illa per ἐνζῆν, siue per διαπνευσιν, siue per ἀνα-
στομωσιν acciderit. Ille sanguis, si non excernitur, per moram
corrumpitur, & eo ipso corrosivi naturam induit. Duplici ita-
que modo hæmoptysis solutionis continui in pulmonibus causa esse
potest, 1) per se, si ex ἐνζῆν, 2) per accidens, quando sanguis
extravasatus διαβρωσιν efficit.

a) l. c. Tom. IV. p. 7.

b) BOERH. Elem. Chem. T. II. Proc. CXV. & CXXVII.

c) V. SWIETEN l. c. T. IV. p. 2.

d) l. c. p. 57.

§. XV.

Intra vasa corrumpitur sanguis, eorum membranas exedit frequenti modo: Si sanguis vel suo ipsius vitio, nimirum lentore & tenacitate, vel valorum culpa, nimirum eorum tono vel relaxato vel stricto, (quod posterius præsertim per adstringentia variis in casibus improvide adhibita efficitur, quo etiam haustus aquæ gelidæ pertinet,) moras justo longiores trahit, vel reapse stagnat, tum vel in pus, vel in aliam malæ indolis corruptionem abit. §. XIV. Vtrumque vero διαβρωσις causa esse potest; Pus enim per se quidem blandum, tractu temporis tamen eximiam nanciscitur acrimoniam, & ærosionis instrumentum evadit. Huc refer Phthises, à peripnevmonia, chloroticam, icteritiam, hypochondriacam, chylosam. Vid. §. IV. nec non tophorum nodorumque exulcerationes.

§. XVI.

Προφυλαξις διαβρωσις explicatæ differt pro ratione causarum; Externæ causæ §. XII. vel evitentur, vel iisdem mox per vapores emollientes, involventes v. g. hordei cocti, & per lenia expectorantia occurratur. Quæ vero ut consequens ex aliis morbis adsunt, uti scorbutica cet. illæ tractentur, pro ratione morborum, ex quibus oriuntur. Ita, si ex depositione materiæ catarrhali, acrem natæ dyscrasiam, pulmones ærodantur, §. XIV. tum involvatur acrimonia, & expectoretur. Quod si ex sanguine post hæmoptysin stagnante talis noxa metuenda sit, tum ad illius resolutionem attendendum est, simulque expectoratio adjuvanda lenioribus solventibus, v. g. Heder. terrest. Veron. Balf. vuln. veg. Dipp. &c. et maxime Otero. Et sic porro secundum singulas causas indicationes formandæ erunt.

§. XVII.

Locuti sumus hætenus de solutione continui in pulmonibus. Hæc autem non est ex causis proximis §. IV. Explicandum itaque, quomodo ex dictis pulmonum læsionibus ulcus generetur? Vulnus, nisi consolidetur, degenerat in ulcus §. VI. Humores enim in vulnus effusi sub his circumstantiis præternaturalem κρασιν acquirunt. Consolidatio autem solutionis continui pulmonum difficillima res est. Etenim ad vulneris sana-



tionem requiritur: 1.) Ut auferantur ex eo illa, quæ vel a liquidis & solidis corruptis, vel aliunde ibi relicta unionem impedirent. 2.) Ut restituantur perdita nova regeneratione ablati. 3.) Ut uniantur separata, & in unione retineantur, 4.) Cicatrix obducenda. a) Hæc vero omnia in pulmonibus vix obtineri possunt. Primo enim momento obstat loci difficultas, ad quem aditus vix patet. Accedit, quod humores revera corrupti ægerrime educi queant, & ob irritationem semper majorem humorum itidem corruptorum vel demum corrumpendorum copiam ad locum affectum invitent. Sic in scorbuticis levis etiam excoriatio in crure facta toties degenerat in ulcus annosum, licet omnia contra tentet medicus. b) Secundum, restitutio nempe perditorum conditiones supponit, hic deficientes. Tertio & unio hic difficillima est. Licet enim sæpe nulla adsit acrimonia, sed ex sola *phlegma* ortum sit vulnus, in hoc tamen maxima obstant impedimenta. Ad unionem separatorum eorumque in ea retentionem requiritur quies, quæ vero nulla est in pulmonibus: Præterea aëri accessus occludi nequit, unionem impediendi. Hæc genesis est ulceris vel ulcusculi. Quomodo hoc ulterius propagetur, & longius serpat, facile est intellectu. Acris enim ulceris materia vicinas partes erodit, sic per additionem novorum ulcusculorum oritur ulcus majus, donec tandem tota substantia pulmonum exesa sit. *Magnus metus est*, inquit Ill. v. SWIETEN, c) *ne per mollem substantiam pulmonum propagetur suppuratio circa vulneris labia nata, & phthisin pulmonarem inducat.* Ex magnitudine & qualitate vero ulceris *Φθισος* gradus determinatur.

a) BOERH. *Aphor.* §. 185. b) v. SWIET. l. c. T. IV. p. 8. c) l. c. p. 6. §. XVIII.

Solutione continui in pulmonibus facta, omni itaque studio cavendum est, ne illa degeneret in ulcus. Efficitur hoc accelerando consolidationes adeoque ponendo causas, §. XVII. dictas, imprimis quietem in pulmonibus, quantum possibile, restituendo: Ob hanc causam prudentes medici quietem continuam imperant, multum loqui prohibent, victum mollissimum præscribunt, ab omni animi affectu cavendum esse monent, ut vasa rupta citius consolidentur.

§. XIX.

Cum autem nihilominus verum ulcus in pulmonibus formatum est, tum manifesta demum evadit phthisis, formidabilis ideo affectus, vel ob hoc solum, quod principia sua adeo abscondat, ita, ut plerumque tunc demum de præsentia ejus certi reddamur, postquam altas jam egit radices; Mille jaectantur & offeruntur remedia, quæ ab empiricis promiscue miseris exhibentur phthisicis, at quoties spes miseros frustretur, tristis docet experientia; Omnis rei cardo in eo vertitur, ut justæ indicationes formentur, quæ itaque ad remotionem ulceris pulmonum tendunt. Hæc cura consistit in ejus depuratione & consolidatione. Licet autem utrumque factu per se jam sit difficillimum, majores tamen adhuc moras & impedimenta struunt symptomata *Φθισος* molesta æque ac periculosa, quæ, si negligantur, ægrum sub doctissima medicatione jugulatura, vel saltem totum morbum in pejus versura essent. Eorum autem præcipua sunt: Nutritionis defectus, tussis, dyspnœa, febris. Quamprimum enim manifesta visceris cujusdam labes adest, statim accedit febris lenta, tandem hæctica. Est illa ex inflammatoriarum genere, oriturque, dum partes ulceratæ inflammantur, quod ex affluxu humorum, ibidemque impedito libero eorum progressu facile intelligitur. Præterea tanta ulcerosæ acrisque materiæ copia in M. H. resorbetur, quæ tunicas nerveas arteriarum stimulat, & auctiorem circuli modum producit. Symptoma hoc urgentissimum est, cum mortem celerissimis passibus acceleret, adeoque ad illud potissimum respiciendum est. Quin in febris moderatione fere totum artificium in phthiseos tractatione positum esse videtur. Quomodo autem obtinetur hic finis? Supra jam monuimus, non ad unam attendendum esse indicationem, sed in pluribus finibus simul, & eadem quidem tractatione obtinendis consistere prudentiam Practici. Adsunt itaque: *Ulcus depurandum, febris hæctica tollenda, tussis & dyspnœa moderanda, nutritio promovenda*; Ulcus, quod novis semper obruitur humoribus, qui dein necessario ibi in corruptionem abeunt, vix, ac ne vix quidem depurabitur, nisi nimius humorum affluxus, qui febris, ejusque exacerbationum

cau.



caussa est, tussim auget, dyspnœam efficit, moderetur & aver-
tatur. Varia heic nobis obveniunt indicata, numerantur inter
revulsoria VSes, scarificationes, vesicatoria, sinapisini, fonticu-
li, setacea, pediluvia, frictiones, laxationes &c. Neque vero
sufficit sola revulsio, sed ad moderandam febrem præbenda
sunt Osa, acida, quæ, si tussim nimis irritent, mucilaginosi,
demulcentibus, gelatinosis, quæ simul nutriunt, involvantur.
Febri placata, ulceris depuratio feliciter instituitur, sed hoc ad-
modum provide, & sub cautelis jam dictis fiat, oportet, ne
scilicet tria quatuorve supra memorata symptomata ingravescant,
acria irritando tussim exasperent, febremque revocent. Le-
nissima proinde seligenda sunt remedia. Inclyta sunt sera lactis,
nec non aquæ Selteranæ, lacti mistæ. Sub hac methodo ex-
pectoratio, omnesque se- & excretiones promoveantur blan-
deet servantur. Ut materia corrupta educatur, beccica mode-
rate jungantur, quæ vi sua demulcente valde sublevant ægros,
præsertim si vulneraria sub- adstringentia dyspnœam auxerint,
vel tussis ferina ex nimia acrium irritatione urgeat. Quodsi tussis
satis non respondeat, adjiciatur modica nitri quantitas ad eam
debite restituendam; Ulcere aliquantum depurato vulneraria
sub- adstringentia gradatim in usum trahantur, semper vero re-
spectu habito ad dyspnœam febremque Balsamica quoque,
sed haud calida nimis, interna & externa, jungantur. Interne
solutio Myrrhæ aquosa egregie se gerit, putredini enim resistit,
simulque consolidationem ulcerum juvat *a*). Externe suffimigia
cum balsamicis administrentur, ut particulae medicamentosæ pro-
pius certiusque ad locum affectum perveniant. Nutritio, toni-
que restitutio vel sub ipsa methodo indicata, vel post eam per-
curetur. Hac indicatione inclaruit Cortex Peruvianus, qui ta-
men ne hoc in affectu nimis forsan adstringat, semper *cum grano*
salis præscribendus erit. Mire quoque se gerit in phthisi balsa-
mus vulnerarius vegetabilis DIPPELII debita methodo admini-
stratus. Nec omittenda est diæta, cujus præcipua momenta
sunt: Aër purus, equitationes matutinæ, quas in omnibus
morbis chronicis summopere commendat Cel. BAGLIVIVS,
& SYDENHAMIVS. Nutrimentum exhibeatur blandum, resi-
ciens,

ciens, ne organis digestionis & sanguificationis molestum fiat.

a) LUDWIG *Instit. Pr. Clin. P. II. Tr. II. C. IV. §. 782.*

§. XX.

Est, ubi phthisis ex mera pulmonum obstructione oritur. §. IV. nro B.) Hæc iterum varia est; Licet omnes communes causas remotiores agnoscant, hæc tamen præcipue lentescentiam liquidorum per pulmones movendorum, sanguinem spissum, tenacem, viresque motrices fractas supponit. Differentiæ obstructionum in pulmonibus fere hæ sunt: Corpus obstruens aut est humor corporis nostri stagnans in uno pluribusve locis, aut est corpus heterogeneum huc delatum. Humores lentescentes saltem in minimis vasis non amplius tam vegete moventur, hinc oriuntur infarctus pulmonum, nodi, scirrhi, aliæ concretiones, quod præcipue Cel. MEAD notavit a), qui "*in pulmones, inquit, haud raro confluit humor strumofus, eoque vitiato supervenit phthisis. Et profecto, si verum dicere liceat, in nostris saltem aliisque Borealibus regionibus à strumis ut plurimum oritur illa perniciēs*". His semel positis lentescentia magis adhuc augetur, sanguificatio impeditur, adeoque sanguis, dum ad justam *Κερω* elaborari non potest, nutritioni fit ineptus, phthisis producitur.

a) *Mon. & Præc. Med. C. XV.*

§. XXI.

Eadem hæc lentescentia variorum concrementorum generationi largissimam occasionem præbet a). Terreæ enim particulæ, specifica sua gravitate semper fundum petunt, nisi a vi fluidi, in quo natant, quasi abripiantur. Impetus autem sub lentescentia cessat, adeoque illæ tempus nanciscuntur depositionis & præcipitationis, (etenim peculiaris deturbatio partium terrearum e tota sanguinis *mixtione* ad hoc negotium requiritur) eodem fere modo, quo petrificata in regno minerali generantur b). Inveniuntur eapropter in pulmonibus concreta tophacea, calculosa, sabula, tubercula, gypsea quasi materia repleta, diu ita persistentia; Cfr. ill. v, SWIET. c) qui multis exemplis hanc materiam illustravit.

a) LUDW. *Instit. Path. P. III. C. 2. §. 1029.*

b) Hamburgisches Magazin Tom. I. Erstes Stuck, nro. II. des Abts DON DIEGO REVILLAS *Abhandlung von Versteinerung aus dem Wasser: Nec non WALLERII Mineralog. p. 423.* c) Tom. IV. p. 59 — 62.



§. XXII.

Προφυλαξίς horum malorum optime & unice præstatur removendo spissitudinem sanguinis, VSibus, diluentibus, incidentibus, resolventibus & maxime motu corporis *a)*. Curatio autem horum malorum, si jam confirmata sunt, difficilior est. Pleraque eorum ad ea pertinent mala, quæ

— — *Curando fieri majora videmus,*

— — *Quæ melius non tetigisse fuit. b)*

Quodsi enim emollientia adhibere velis, illa facile in cancrum & ulcera mali moris mutabuntur; Si discutientia, inutilia erunt, quia malum summæ pertinaciæ est. Sola restant resolventia, quæ etiam magno cum discrimine dari debent. Cavendum enim, ne vel nimis cito vel iusto vehementius operentur. Studendum potius, ne valde irritent, cum eorum resolutio subitanea & emollitio æque periculosæ sint.

a) LUDW. *Inst. Therap. Gen. P. IV. C. 5.* item JUNCK. *Therap. Spec. Tab. III.* *b)* Ovid.

§. XXIII.

Supereſt adhuc tertia phthiſeos ſpecies, quam *bronchiale* nominare placet, quia ejus ſedes eſt in bronchiis, eorumque ramificationibus. Ejus deſcriptionem & effectus §. IV. commemoravi. Brevibus igitur de ejus cauſſis & curatione diſpiciendum eſt. Omnia phænomena congeſtionem præternaturalem arguunt. Quicquid igitur talem congeſtionem ad pulmones determinat, id huic φθιſεως ſpeciei anſam dat. Sunt ea: Pulmonum atonia, variis ex cauſſis præcipue incauto uſu bechicorum inducta: Cfr. §. VIII. Stimulus in ipsis pulmonibus ex materia acri catarrhofa; Stimulus extra pulmones eos ſympathice afficiens, uti in tuſſis variis ſpeciebus; Determinatio humorum ad pulmones ex ſuppreſſione aliarum qualiumcunque excretionum &c. Hujus curatio exigit pro cauſſarum differentiis modo tonica, modo derivantia, modo involventia, modo expectorantia, nunc excretionum ſuppreſſarum reſtitutionem, nunc roborationem toni in pulmonibus. Morbos enim curare, eſt cauſſas eorum tollere.

FINIS.



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
Dn. I. I. OEHLMECKERO

DISS. DE PHTHISI AVTORI

S. P. D.

Dr. G. F. SIGWART

P R Æ S E S.

Vtut, quæ ad TVAM NOBILISS. DN. CANDIDATE habuisssem, monita neutiquam TIBI fuissent molesta, ea hac vice tamen excludebat temporis angustia aliarumque occupationum multitudo. Nostra interim iccirco non in omnibus ad omnia in unum consentire ubique, neutri nostrum vitio poterit verti. Non mihi quidem, qui longissime ab illo absum pædantismo, qui in Magistri verba vult jurari; non TIBI, cum, quæ aliis veritatis in orbe literario cultoribus, quid sentiant, libere dicendi & scribendi facultas, eadem & TIBI concessa est omnino in *doctrinis cathedrariis*. Quæ *sentiendi libertas*, ut justa hodie habetur ubique, ita & eadem excusso illo conscientiae servilis iugo scientiarum incrementis commodisque promovendis adeo opportuna favensque deprehensa fuit in scholis academicis, ut ne Dissert. inauguralium quidem PRÆSIDES gravate habeant amplius à sua ipsorum sententia discedere vel ipsos suos PROMOVENDOS, qui ejusmodi speciminum AUTORES esse gestiunt. Illustriora in eo nobis prælucentia hujus æquitatis *exempla*, domestica & peregrina, suspicimus & veneramur omnino. Præterea TE in re præsentī duplex manet laus honosque haud vulgaris. *Primo* quidem quod *pigrorum Pathologia*, quæ dicitur, *hyperphysica* non oberres & ex physices principiis TUA propius deducere conaris; *dein* quod à *medendi methodo minus tuta* te abhorrere satis luculenter ostendis. In *methodo TUA antiphtisica* fugitivo oculo à me percursa admodum cautus versari mihi visus es. Suspicator inter alia loco adfecto immediate admittenda

una TE commendaturum esse STAHLIANUM illud, exhalatus nempe *antimoniales*. Enimvero tantum abesse vidi, ut id addideris remedii genus, quantumvis adeo concelebratum, ut potius §. XII. omnes adeo suspectos *fumos minerales* aperte disuasaris. Ecquæ etiam alia, obsecro, iusta esse potest, quæ alia idonea *sanitatis cura*, nisi *secura* & satis tuta adeoque certa & ab omni incertæ fidei conamine temerario aliena? *Hanc* ratio vel sibi relicta jam suadet urgetque; *Hanc* præcipit inculcatque intemerata cuiusvis conscientia. *Hanc* præmonstrant verustæ religionis medicæ dictamina & exempla, antiqua & nova. *Hæc* omnibus, quibus cum vita & sanitate hominum cautius mercari discendum est, *hæc* iis præsertim, qui, prout est indoles animi humani, novis inhiant, stupent in insolitis, mirantur moxque & citius amplexantur, quam severo & subactò judicio scrutantur, quæ casus vel ingenii volubilis solertia suppeditant, & magna ab aliis jactantur confidentia, *hæc* iis quam maxime qui ratione usuque comprobata medendi methodo posthabita sæpe animo prærupti quibusvis præferocis audaciæ consiliis præcipites & de vii in hominum vitam inconsultius grassantur omnibus ausibus prompti, *hæc*, inquam, ita undique convocanda & rapetenda esse religionis medicæ præcepta & exempla, & serio incolcanda ubique, quis proborum negabit, & inculcari quovis modo & data quavis occasione, quis eorum sentiet molestum? Digna erant omnino, quæ ad imitandum proposita fuerunt exempla in nupera *Dissert. SULZERIANA de morbis male artificialibus*. Superfunt plurima alia. Duo autem ad ista spectantia *veritatis documenta* ibi communicare oblitus sum nacta hac opportunitate nunc subjungenda. *Primum* ex hibet *Cel. C. F. KALTSCHMIDIUS* in *progr. de Scirrbo glandula axillaris. Jen. 1764.* edito, ubi Publicum certius facit neque de *Belladonna*, neque de *cicuta* ejusque *succo* etiam *Austriaco* adeo deprædicatos effectus suæ & *Cel. BUCHNERI, Gothani*, expectationi respondisse, sed utrumque & posterius præsertim *toxicum*, omnibus licet adhibitis cautelis (de quo apud ejusmodi exercitatos *Præcticos* certe dubitari nequit), omnem eorum tamen spem fefellisse, ut tandem istis nil cedentia *scirrhusa* & *cancrofa* illa mala ferro extirpari debuerint & extirpata fuerint feliciter. *Alterum* in hac causa veri-

veritatis testimonium, idque luculentissimum, in *Diff.* quæ inscribitur: *dubia cicutæ vexata*, Helmst. 1764. ventilata edidit J. H. LANGE, vir doctrinis multarumque rerum experientia celebratissimus, cui hac in re eo majores debemus gratias, quo liberiore licet, singularis tamen modestiæ dulcedine temperata severitate, magnorum etiam virorum auctoritate nil perterritus in gravissimo hoc argumento versatus est, cui insuper eo majorem debemus fidem, quo is nobis hic esse poterit magis idoneus veritatis testis. Is etenim non in aliis tantum rebus practicis: sed & in hac, quæ per *cicutam* tentari cœpit, praxi longe versatissimum se sistit. Is non in uno alterove solum morbo, sed in omnibus prope, adversus quos illud celebratur toxicum, solis illis exceptis, in quibus illud tentare vel ipsa ratio jam a priori ipsi disuadebat, sua fecit pericula & facere potuit abunde in praxi sua amplissima. Fecit eadem per integrum quadriennium, fecit caute, laboriose, fecit exacte, fecit etiam ad præscripta INVENTORIS seu potius RESTAURATORIS hujus toxici, fecit cum herba a se ipso quæsita, cum ipsius succo sua ipsius solertia expresse, ut & in eo tutior esset a *Pharmacopæi negligentia*, fecit itaque hæc ita, ut ante ejus usum omnem navaret operam, quæ tum in cognoscendo morborum indole, ægrotantium scrutando temperamento & ipsius remedii præparatione ab homine rerum suarum satagente collocari potuit l. c. §. VI. Ecquid hæc ita quam exactissime ad artis regulas faciendo tandem expertus est? Audiamus illum ipsum. Hic ejus ex CUNÆI Sat. Menipp. p. 65. introitus: *prosperos Medicorum successus Sol adspicit, adversos tegit tellus.* SUMMATIM §. IX. ita pronunciat: *experientia sum edoctus propria ægrotantes antea bene valentes & robustos medicina hujus usu diuturno amissis viribus tantum non omnibus ad perpetuum decubitus condemnatos esse.* Accesserunt in nonnullis animi deliquia, pervigilium cet. conf. §. X. captis in MORBIS VENEREIS experimentis addit: *hi casus, hæc phenomena. . . multo me cautiozem reddiderunt, quam quidem a legendis Ill. STOERCKII scriptis discefferam.* De ARTHRITICIS p. 20. hæc habet: *nulla in re STOERCKIANO remedio adjutum me fuisse invitum fateor, & p. 21. eorum casuum, quos e multis attuli selectos, hæc erit SUMMA: ut nullum cicutæ utili-*



tatem in arthritide, damnosos cicuta effectus plus una vice expertum me esse, confirmare haud dubitem. De SCABIE, TINEA, p. 24. hæc: cognita CICUTÆ VIRULENTIA, quam in adultioribus non raro expertus fueram, absterritum me esse fateor, quo minus cicutam INFANTIBUS ad usum internum propinarem, & mox de interno hie ejus usu: aliud percepi commodum nullum, quam ut pediculorum, quæ adfuerant legiones intra paucos dies enecarentur. En! vix tutum hic NOVUM ANTIPEDICULARIVM. Pag. 26. ultra: Risit Scorbutus planeque contemnit cicuta usum tum internum tum externum. FISTULAS cicuta nullo modo concessuras esse evincit regio exemplo p. 28. Adversus ibidem commemoratos MORBOS TOTO COELO DIVERSOS unius cicuta vim valere recte negat. In CATARACTA eam tentavit, sed cæcitas, quæ prius adfuerat, permansit, insequentibus insuper sinistris eventibus p. 30. SCIRRHOSIS eam frustra nec sine noxa dedit p. 32. In CANCRO, omisso cicuta usu, ad alia recurrere coactus fuit p. 33. & quod, pie dolet, FEMINA CANCROSA imbecillitatem hujus toxici morte testatam reliquit Ibid. Iucunda ipsi quidem videtur, quam p. 38. refert, hæc illa vox: quid jam annabilis sexus femineus ultra a cicuta petit? Ad eam vero hanc contra audimus: gratulemur feminis, quibus tam parvo constitit fœcunditas, dolemus vero etiam maritorum vices, quibus timendum est, ne toties ad cicutam deglutiendam adigantur, quoties alacritate debita carent, quam cicuta præstat, putaverim, præstare putatur infelix saltem NOVUM hocce APHRODISIACUM. Tandem, si quæ etiam huic toxico concedenda esset vis diuretica, sapienter addit: Si idem præstent alia remedia, quæ materie medicæ civitate jam donata fuerunt, & præstent quidem minori cum periculo: non liquet, cur a cicuta potius, id vero est, a DUBIO & ANCIPITI remedio, quam a notis & comprobatis juvari nos patiamur. Pulcra sane & magni ponderis clausula. Iusta & religiosa medicæ prudentiæ regula, specialis hætenus, sed ad totius religiosioris praxeos fastigium evehenda! Ecce jam aliqua ex dictis consuetaria. Primum quidem modo indigitatum sic apertius: cum hodie non ea sit in materia medica pauperies, ut non suppetant ubique SATIS TUTA usuque abunde comprobata, quæ am-

amplius nos premit necessitas illis substituendi *minus tuta & to-*
xica adeo nunquam satis tuta, utpote quæ, si quando etiam,
 quod rarius tamen accidit, aliquam forte fortuna præstarent
 opem, non tamen præstarent aliam, quam quæ ab aliis tutiori-
 bus expectanda fuisset, & quæ insuper toties totque sinistris com-
 pensatur effectibus. *Dein* si tanti viri tot tamque provide, tam
 tamdiu & per integrum quadriennium capta, adeoque a vulga-
 bus *subreptionis vitiis* libera experimenta toxici hujus usui recla-
 mitant, si tantus observator ipso hoc improbo suo labore a par-
 tium studio plane alienum adeoque satis idoneum hujus rei te-
 stem ita se sistit, si & inter nos ingenua hæc audire est querela:
 & me fefellit cicuta, adeo dolosa certius defraudatura minus ex-
 pertos necdum sat barbatos, si *Exteriorum* aliorum cum hoc, si
 tot tantorumque virorum alia cum aliis *toxicis* facta pericula, quæ,
 quibus tenerior & scrupulosior est conscientia, forte non fece-
 rint, ego certe, quod præfiscine dixerim, non fecerim, licet
 non fecisse non dolens, facta jam esse, quibus quam meis sape-
 re malo, gratissimus agnoscam, sin ista sic, inquam, sinistros
 suos effectus satis superque proclamant, quis ea plus satis facta,
 fecerit amplius aut ultra facere suaserit? — Si, quod *tertium* est
 apertius ponendum, hæc talia sunt, si tam solida de istis undi-
 que accipimus virorum gravissimorum testimonia & judicia,
 quo quæso loco habenda erunt, quibus toxica extollunt, eorum
 encomia, qui *propria nondum edocti experientia*, vel solo *autorita-*
tis quorundam *præjudicio*, vel *horum in gratiam* & auræ alicujus be-
 nevolentioris inde captandæ causâ, vel solo *novaturiendi studio*
 & fortuitis *novæ rei successibus* horumque *laudibus*, quæ *testis* sæpe
sinistris eventibus, illos millenis vicibus superantibus, ebuccinan-
 tur, inescati captique & solis *persuasionibus* fascinati protinus ad fo-
 res quasi concinunt eadem una collaudantes commendantesque
 tanquam de cœlo delapsa nova sibi concessa morborum remedia?
 si, quod *quartum* est, experientissimis adeo subactoque judicio
 pollentibus viris ea omnia tam sinistre cesserunt, quis, obsecro,
 medicæ per venena praxeos studium commendaverit orientibus
 artis cultoribus, qui novis & ab instituto alienis inhiantes ne-
 glectis

glectis sæpe scientiæ elementis & fundamentis necessariis à re-
ctis studiorum suorum lineis tam facile excidunt? quis in præpo-
stera hac eorum sedulitate aliquam quælikerit laudem? quis hu-
juscemodi tentamina, quæ viros adeo exercitatissimos fefelle-
runt, iis indulserit, qui ab academicis subselliis nimis accelerato
sæpius & abrupto studiorum suorum cursu ad ægrotorum lectos
festinant necdum experti eo certius experimenta per mortes fa-
cturi protinus nil non audent? Quis tam facile funesta ejusmo-
di conamina non potius quovis modo disuaserit? Hæc saneratio
& religio inculcant & fidei nostræ conceditis inculari jubent ipsa
adeo officia nostra academica, quæ junctis tuemur viribus. Si,
quod *quarto* loco ponendum hic est, ipsa adeo alias *minus suspe-*
cta medicamina, e. c. pilulæ istæ in nupera Dissertatione accu-
satae, utut alias poly-quinimo holochrestæ habitæ, aloeticæ
præsertim, idem de hisce observante primano in Patria nostra
Practico religiosissimo, & similia minus ambigua tot tantasque
noxas inferre possunt, quis *magis suspecta*, quis *nunquam satis tuta*,
toxica adeo commiserit iis, quibus difficilis adhuc res est, cave-
re, ne vel cum ipsis alias non ita nocivis noceant. Sed hæc hæcte-
nus. Reliqua in gravissimo hoc argumento pressius exponenda
alia vice. Tum quidem ut nunc sine ullo ullius idonei artis no-
stræ cultoris opprobrio. Quam enim eorum quisque jam aliun-
de debitam habet gloriam, ab hac re demum petere non habet
opus. Hæc ea ipsa quoque est dignatio, quam TIBI NOBILISS.
DN. CANDIDATE impense gratulor. Perge, qua cœpisti, tutioris
Medicinæ via calcanda calcataque ad imitandum bonis omnibus.
In ea me habebis comitem ad quævis officia paratissimum. Sed
labore, & sapientia hic opus est comite prudentia, ut laudis ve-
tigal non pareat aliis, nobis desiderium. Vale!

e Mus. d. 27. Dec.

1765.

